



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

Sequuntur aliquot parvi Sermones.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

Testimonium  
Bonitatis,

f Matth. 19. c

Testimonium  
Aeternitatis,

Eccl. 27. b

Psal. 83.

Ioan. 14. a

retributione futura? Eodem quoque modo considerare est cetera quae sequuntur. Etenim si eousque proficias, ut propriae abrenuncies voluntati, certissimum illud est *divinae testimonium bonitatis*. Veniens nimirum non tuam, sed ipsius facere voluntatem, commendas magnifice, quam sic praefers, clamans non verbo, neque lingua, sed opere & veritate, quia nemo bonus nisi solus Deus.

Superest ut perseverantiae studeas. Haec enim viae consummatio est, & testimonium habet *aeternitatis*. Imago siquidem aeternitatis divinae, perseverantia est conversationis nostrae; ut quomodo ipse est, ita & nos firmus in hoc saeculo, incommutabilitatem illam pro modulo possibilitatis nostrae imitantes. Hinc quippe Sapiens ait <sup>t</sup>, *Stultus ut luna mutatur; sapiens permanet ut sol*. Haec ergo via, dilectissimi, ambulate in ea, cum ascenderitis de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion <sup>u</sup>. Ad cuius gloriam visionis ipse nos perducatur Dominus virtutum & Rex gloriae, qui est via, veritas, & vita <sup>x</sup>, Iesus Christus Dominus noster.

### PARVI SERMONES,

I.  
a Ioan. 5. b  
b Esai. 66. g

**T**res sunt qui testimonium dant in caelo, Pater & Filius & Spiritus sanctus a. Tres in terra; spiritus, aqua, & sanguis. Similiter in inferno, ut in Esaias legimus <sup>b</sup>. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Duo mala sunt vermis & ignis: altero roditur conscientia, altero concremantur corpora. Tertium additur desperatio, quae in eo utique intelligitur quod dicitur, morietur, & non extinguetur. His qui in caelo sunt, datur testimonium beatitudinis: his qui in terra, justificationis: his qui in inferno sunt, damnationis. Primum testimonium est gloriae, secundum gratiae, tertium irae.

II.

De Spiritu sancto testatur Scriptura, qui procedit, spirat, inhabitat, replet, glorificat. Procedere dicitur duobus modis: unde, & quod. Unde? à Patre & Filio. Quod? Ad creaturam. Procedendo praedestinat: spirando vocat quos praedestinavit: inhabitando iustificat quos vocavit: replendo accumulatur meritis, quos iustificavit: glorificando ditatur praemiis, qui accumulavit meritis.

III.

Spiritus sanctus arguit mundum de peccato quod dissimulat: de iustitia quam non ordinat, dum sibi non Deo eam dat: de iudicio quod usurpat, dum tam de se quam de aliis temere iudicat.

IV.

Gen. 1. a

Usque hodie in civibus Babylonis aquarum effusio, id est confusio cogitationum, terram facit inanem & vacuum. Dum enim fluctuat circa carnem cogitatio universa, nullum ex ea sperare est fructum salutis. Dividantur ergo aquae ab aquis <sup>a</sup>, quatenus anima quoque (ut dignum est) partem sibi vendicat sollicitudinis & meditationis. Sanè inferiores certis limitibus coerceantur, certis contineantur alveis, necessitatis terminos non excedant,

excedant, proinde superiores copiosius dilatentur. Ex hoc sanè dat Dominus benedictionem, & terra nostra dabit fructum suum b.

Cum in populo Dei carnales alii sint, & alii spirituales: nec illi tamen aeternorum, nec isti carent omnimodo temporalium desiderio. In eo sanè distant, quòd plus alia appetunt alii, & secundum ea quæ præferunt, aut spirituales, aut carnales judicantur. Hinc est quòd in benedictionibus Jacob & Esau, & ros cæli, & terræ pinguedo nominatur, sed non eodem ordine in utroque. *Det tibi Deus de rore cæli & de pinguedine terra abundantiam*, ait Isaac ad Jacob a. Ad Esau verò: *In pinguedine terra*, inquit, & *in rore cæli desuper, erit benedictio tua*. Quid autem singuli præferant, à studiis eorum & sollicitudinibus innotescat.

b Psal. 84. b  
V.

*Mors peccatorum pessima* a. Mala in amissione mundi, quia non possunt sine dolore separari ab eo quem diligunt. Peior in dissolutione carnis, à qua evelluntur eorum animæ à spiritibus malignis. Pessima in tormentis inferni, quando corpus & anima perpetuis simul addicuntur ignibus. Econtrario bonorum mors optima, quoniam quidem fit ibi quies à labore, fit jucunditas de novitate, fit securitas de æternitate.

VI.

*De stercore boum lapidatus est piger*. Eccli. 22.

Bovès sunt qui in opere Dei strenue exercentur: qui seminant in lacrymis, sed in gaudio metent. Isti sanè quæcunque sunt mundi huius arbitrantur ut stercorea. Piger verò, cuius sabbata videntes hostes derident, dehonestatur ab hostibus in ocio suo sicut boves strenui in laboribus suis honestantur à Deo. Quem enim maligni spiritus pigrum vident ac spiritualia exercitia, in cogitationibus eius ingerunt importune terrena: velut de stercore boum massas coagulantes, & pigrum, sicut dignus est, lapidantes.

VII.

*Osculetur me osculo oris sui*. Tria sunt oscula, reconciliatoriū, muneratoriū, contemplatorium. Primum ad pedes, secundum ad manum, tertium ad os sumitur. In primo accipitur remissio peccatorum, in secundo munus virtutū, in tertio cognitio secretorum. Vel ita, osculum doctrinæ, naturæ, gratiæ.

VIII.

Duo sunt ubera sponsæ: congratulatio & compassio. Gemina lactis species: exhortatio & consolatio. Tria unguenta: compunctio, devotio, pietas. Compunctio de recordatione peccatorum, devotio de recordatione beneficiorum, pietas ex consideratione miserorum.

Cant. 1. a

IX.

*Revertere revertere Sunamitis, revertere revertere ut intueamur te*. Revertere primò ab inepta lætitia, revertere secundò ab inutili tristitia, revertere tertio ab inani gloria, quarto revertere à latenti superbia. Inanis gloria est quæ ab ore hominum venit extrinsecus. Superbia latens oritur intrinsecus. Cum hæc omnia vitia reliquerit anima, intuebitur eam sponsus eius. Ob hoc autem debet ab aliis abstinere, ut digna fiat eius complexibus. Unde & ad eam dicitur; *Revertere revertere, ut intueamur te*.

X.

Cant. 6. d

Pastorum

XI. Pastorum est, vigilare super gregem propter tria necessaria, videlicet ad disciplinam, ad custodiam, ad preces. Ad disciplinam, propter morum correctionem, ne grex commissus propria molestia deficiat. Ad custodiam, propter diabolicam suggestionem, ne hostili sedueatur calliditate. Ad preces, propter tentationum instantiam, ne vincatur à pusillanimitate. In disciplina rigor justitiæ, in custodia spiritus consilii, in prece affectus compassionis.

XII. Duas ad intelligendum se condidit universitatis auctor creaturas; Hominem & Angelum. Hominem justificant fides & memoria: Angelum beatificant intellectus & præsentia. Et quia homines quandoque perdendi sunt ad æqualitatem Angelorum, necesse est ut interim justificentur per fidem, & proficiant ad intellectum. Scriptum est enim, *Nisi credideritis, non intelligetis*. Itaque fides, via est ad intelligendum: nam mundatur cor fide, ut intellectus videat Deum. Similiter & memoria Dei, via est ad præsentiam Dei. Qui enim hic habet mandatorum ejus ut ea faciat memoriam, merebitur quandoque ut ejus quoque videat præsentiam Angeli Dei in celo: habemus & nos ejus fidem & memoriam in mundo.

XIII. Pars tua sumus Domine, quam tulisti de manu Amorrhæi in gladio & arcu tuo *a*. Gladius tuus sermo vivus & efficax *b*. Arcus tuus incarnatio tua, Ibi enim velut curvato sapientiæ ligno, & pio quodam modo flexa divinitate, nervus carnis vehementer extensus, & humanitas ineffabiliter aucta cognoscitur. Pars ergo tua sumus & populus acquisitionis tuæ *c*, quem acquisisti verbo prædicationis, & mysterio incarnationis.

XIV. In circumcisione Domini nec nervus rumpitur, nec os comminuitur, ut robustiora quæque & firmiora serventur illæsa. Aperitur autem cutis, amputatur caro, sanguis effunditur, ut illecebrosa mollities castigetur. In carne quidem peccatum quod in ea manet intellige, porro in cute operimentum ejus, in sanguine vero incentivum. Hæc igitur vera circumcisio spiritu non litera, si velamen excusationis & dissimulationis per compunctionem cordis, & confessionem oris amoveas: si peccati consuetudinem correctione conversionis abscindas: si denique, ut necessarium est, occasiones quoque peccati & fomitem fugias concupiscentiarum.

XV. *Obtulerunt Magi Domino Aurum, Thus, & Myrrham*. Hæc fortassis pro loco & tempore necessaria videbantur. Auri precium ob paupertatem: Myrrhæ unguentum ob infantilis (ut assolet) corporis teneritudinem: Thuris odorem ob sordidam stabuli mansionem. Nos verò quoniam illa jam omnia transferunt, offeramus ei acceptabiliora munera; myrrhæ unctioem in communionem socialis vitæ, thuris speciem in suaveolentiam bonæ famæ, auri splendorem in conscientie puritatem, quo videlicet nec de officiosa conversatione familiarem gratiam, nec de laudabili opinione inanem

inanem gloriam, sed honorem Dei, & fratrum utilitatem quærere studeamus.

Ante omnia sine murmuratione sint fratres, Fortè aliqui leve peccatum astimant murmurare : sed non hic, qui ante omnia monet esse cavendum *a*. Puto autem ne illum quidem leve reputasse, qui murmurantibus agebat *b*: *Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum*. Nos enim quid sumus? Sed ne illum quoque qui dixit *c*: *Non murmura veritis sicut quidam murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore*. Illo nimirum exterminatore, qui positus est in hoc ipsum, ut à terminis beatæ illius civitatis arceat murmurantes, & longè faciat à finibus eius : cui dicitur *d*: *Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, qui posuit fines tuos pacem*. Nihil enim commune habent murmur & pax, gratiarum actio & detractio, zelus amaritudinis, & vox laudis. Itaque in ore trium & talium testium stet hoc verbum, ut pestem istam murmurationis summopere nobis noverimus esse cavendam.

Tres sunt quibus reconciliari debemus, hominibus, Angelis, Deo. Hominibus per aperta opera, Angelis per occulta signa, Deo per puritatem cordis. Nam de operibus quæ coram hominibus facienda sunt scriptum est: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra opera bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est*. De Angelis dicit David *b*: *In conspectu Angelorum psallam tibi*. Occulta autem signa sunt gemitus, suspiria, usus ciliicii, & cætera poenitentia insignia, quæ Angelis placent. Unde est illud *c*: *Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente*. Ut autem Deo reconciliemur, nec operibus, nec signis, sed puritate & simplicitate cordis indigemus. Scriptum est enim *d*: *Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt*. Et illud *e*: *Si oculus tuus fuerit simplex, &c.*

PARABOLA I.

De Pugna spirituali.

**R**ex dives & præpotens Deus omnipotens filium sibi fecit hominem, quem creaverat, cui sicut puero delicato pædagogos delegavit legem, prophetas, cæterosque tutores & actores usque ad præfinitum tempus eius consummationis. Instruxit eum & monuit, Dominum paradisi constituens; omnesque thesauros gloriæ suæ ei ostendens & repromittens, si se non derederet. Et ne quid deesset bonis eius, etiam liberum arbitrium ei indulxit, ut bonum eius esset voluntarium, non coactum. Accepta licentia boni & mali, cœpit eum tædere bonorum suorum, à concupiscentia sciendi bonum & malum. Egressus igitur de paradiso bonæ conscientia, nova quærens quæ nesciebat, qui nulla adhuc nisi bona noverat, paternis legibus & pædagogis relictis manducavit de ligno scientiæ boni & mali contra vetitum patris : & abscondens se miser & fugiens à facie Do-

XVI.

*a* Philip. 2. b  
*b* Exod. 16.  
*c* 1. Cor. 10.

*d* Psal. 147.

XVII.

*a* Matth. 5.

*b* Psal. 137.

*c* Luc. 15. b

*d* Matth. 5. a  
*e* Matth. 6. c

*Homo creatus  
filius Dei.*

*Lib. arbitrio  
donatus.  
Curiositate ab-  
ducitur.*

Sermones S. Bernardi.

E e e e

mini,